

# TRANSITUS IN ALTERUM SEXUM: THOMAS AQUINAS QUIDAMQUE THOMISTAE

GUALTERIUS (WALTER) REDMOND  
Austin, Texiae, SUA

## SUMMARIUM:

Quaestiones sicut “homo potestne sexum suum transmutare?”, “femina potestne vir fieri?” acriter disputantur hodie, immo ubique. Patet quaestionem praecipue attingere anthropologiam philosophicam. Disputationibus summatim explicatis, doctrinae appositae ostendabuntur Sancti Thomae Aquinatis atque quorundam discipulorum ejus hodiernorum. Denique, disceptatio perbrevis recensa, interpretatio proponetur.

## PALABRAS CLAVE:

Sexus, genus, corpus, materia, anima.

# TRANSICIÓN A OTRO SEXO: TOMÁS DE AQUINO Y ALGUNOS TOMISTAS

## RESUMEN:

Preguntas como “¿Puede un hombre cambiar su sexo?” o “¿Puede una mujer convertirse en hombre?” se discuten enérgicamente hoy en día, de hecho, en todas partes. Está claro que estas cuestiones afectan principalmente a la antropología filosófica. Después de haber explicado brevemente las discusiones, se presentarán las enseñanzas de Santo Tomás de Aquino y de algunos de sus discípulos contemporáneos. En resumen, después de una revisión muy breve de la controversia, se propondrá una interpretación.

## PALABRAS CLAVE:

Sexo, género, cuerpo, materia, alma.

Recibido: 06/03/2023

Aceptado: 28/05/2023

## SEXUS ET GENUS

Vos saluto comiter, amici, ad praelectionem circa quaestionem quae acriter et acerbe disputatur in patria mea, Statibus Unitis (et alibi crescit rapide): *utrum homo vere possit suum sexum eligere vel transmutare*, sive: *mulier possit transire in virum vel vir in mulierem*? Haec controversia ad anthropologiam philosophicam spectat, et cum noster congressus sit de Aetate Media, auxilium petemus Sancti Thomae Aquinatis et quorundam discipulorum ejus, Thomistarum hodiernorum, ad rem clarandam.

In patria mea haec quaestio, quae tum theorica est tum practica, de transmutatione sexuali aperuit scissionem profundam in populo et circa eam pugnatur in proeliis ferocibus intra bellum culturale. Et quidem ipsi Thomistae, ut videbimus, discrepant in interpretatione doctrinae Sancti Thomae.

Nostra permagni interest in ipso principio stipulari sensum vocabulorum praecipuorum in indagatione nostra. Primo, par verborum “masculus” (sive “mas”) et “femina” *idem* significabunt ac “vir et mulier”. Praeterea, definienda sunt (quantum fieri poterit) vocabula “*sexus*” et “*genus*”, nam distinctio inter ea omnino decretoria erit ad intelligendum ipsum quaestionis statum. Ista duo vocabula comprantur cum paribus vocabulorum in nostris linguis vernaculis, utputa Hispanica et Lusitana (sexo - *género, gênero*) et Anglico (*sex-gender*).

“*Sexus*” plus minusve adaequat nostro “sexo” (id est, “mar vel femina”), sed “*Genus*” in sermone Latino non habet sensum “*gender*”, quod non aliter ac “*sex*”, significat marem vel feminam. Quidnam, inquires, significat “*gender*” si eundem habet sensum ac “*sex*”? Vos deprecor igitur ut mihi permittatis dicere “genus” pro “*gender*” (*género, gênero*), tamquam “genus hominum et mulierum”. Liceat mihi etiam novare (aut saltem fingere) adjectivum Latinum “*genuale*” ad par faciendum cum “sexuale”, ita ut habeamus paria “sexus-sexuale” ac “genus-genuale” (sive “sexed-gendered”).

Tota disceptatio quidem circa “transmutationem sexuum” vertitur in sensibus horum duorum verborum, “sexus” ac “genus”, quorum ambo, quamvis significant virum vel mulierem, a peritis tamen dicuntur habere sensus toto caelo diversos, videlicet:

- *sexus* est quid *materiale*, de corpore physico agitur— de organis sexualibus atque penitus de chromosomatibus (vir habet chromosomata XX, mulier XY); sexuelle investigatur a biologicis, geneticistis, aliusmodi scientificis, et talis sensus accipitur ab ómnibus disputantibus.
- sed contra, *genus* (*gender*) est (ut ita dicam) “immateriale”; est quid *sociale*, scilicet ea quae in concursu hominum discuntur atque in scholis docentur; significatio “generis” est valde incerta ac proinde vehementer disputatur inter peritos qui hac voce “genus” utuntur.

Ideoque pensum nostrum philosophicum erit clarare (quatenus fieri potest) quomodo significationes horum duorum verborum (“sexus” et “genus”) determinant utrum accipienda sit theoria ac praxis “transitionis” an dubitanda. Consilium petemos praesertim a Sancto Thomate (cui, ut patet, huiusmodi conceptu “generis” omnino carebat) et inquiremus responsa ad huiusmodi quaestiones oblata a quinque Thomistis hodiernis.

Dicendum est obiter quaestionem non esse de *existentia* hominum in alterum sexum transitorum sed potius quomodo vel utrum transmutatio *fuert in rerum natura* (Cicero).

## CONFUSIONES ET LITIGIA

Haud mirum est, nos, cum primum audimus aliquem nobis dicentem “Marcus peperit filium”, censere eum delirare—vir enim quomodo parturiet? “Marcus”, explicant periti, “erat” femina biologica (sexualis) nomine “Ana”, quae in virum transita “est” vir qui nunc “Marcus” vocari mavult.

Revera multi sunt hodie, et quidem plures in dies, qui huiusmodi sententias de transitione in alterum genus, profiteantur, immo ex tectis praedicent et conantur omnibus civibus imponere in societate. Aliter vero opinantes renituntur contra illos eodem vel majore ardore. En “bellum culturale”!

Multi factores confluent in hanc notionem “transitio in alterum sexum” vel “reassignatio sexus”. Re quidem vera, sunt qui sentiant se “in alio corpore” natos esse ideoque se cum altero sexu aequiparent, accommodantes consuetudines illius. Olim tales sensationes et tales mores a psychologicis et psychiatribus ut *abnormales* existimabantur hominum

oppressorum “disphoria generis” ut dicitur, sed hodie certi periti, revera semper plures, hoc iudicium ut nimis durum rejiciunt.

Quibus in alterum sexum transire volunt medici nonnunquam praescribunt duplex auxilium medicum: (1) medicamina ad pubertatem impediendam vel retardandam et (2) interventiones chirurgicas velut amputation mamarum vel penis. Surrexit pugna acuta inter eos qui favent talibus mediis et eos que eis adversantur velut “mutilationibus”.<sup>1</sup>

Disputationes de hac re sunt sat involutae, sed “practice” difficiliiores sunt innumerae confusiones atque altercationes quae ex ea oriuntur-immo *odia*. Sufficiat unum exemplum: participatio feminarum “transitarum” (hoc est, virorum sexualium sed mulierum genualium”) in athletica feminina. “William” Thomas, natator masculus, olim taxabatur in loco 469 (quadrigentesimo sexagesimo nono) cum certaba cum *viribus* in cursu centum metrorum. Nunc autem “William”, jam transitus in feminam et nominatus “Liam”, invenitur in *primo* loco inter natatorias femininas. Surrexit ingens scandalum: licetne athletic qui “sexualiter” sunt masculi sed se praebent “genualiter” ut feminae interesse desportibus muliebribus?

Itaque sexus et genus, ut diximus, toto caelo inter se discrepant in disputationibus recentibus. Sexus est quid *materiale* (ut viscera, chromosomata), genus autem est quid *sociale* et sentitur quodammodo “minus solidum”, “minus reale” quam sexus. Verumtamen, secundum fautores transmutationis, genus est “realius” utpote praebet homini *indolem* ejus singularem (seu ejus “identitatem”) ut personae-etiam ut mari aut feminae. Ista indoles personalis, adjiciunt, cum sit *fluida*, potest, immo, pro re debet, *eligi* ab individuo. Ana igitur eligit fieri Marcus qui peperit filium et vir William decernit transmutari in feminam “Liam”. Hi transitus dotem sexualem non respicit, qui sane idem manet, sed *generi* debetur.<sup>2</sup> Ex

1 Reassignatio generis jam evenit res pugnata in comitiis politicis. Generatim, factio *sinistra* favet transitioni in alterum genus, non autem factio *dextera*. Qui transitionem generis promovent nuperius appellantur “vigiles” (*woke*), scilicet “expergefacti ex somniis”. In scholis magistri *woke* volunt ut scholares, etiam in primis gradibus, immo in *kindergarten*, de transmutatione sexuali docentur. Ideoque indecorum surrexit proelium inter parentes, qui filios de “ideologia” sexuali protegere volunt, et magistros *woke*, qui mutationes sexuales alumnorum (si quae sint) a parentibus occultare volunt.

2 Alii magistri vero hanc doctrinam transitionis viderunt ut cujusdammodi *Gnosticisum redivivam* in tempore ineuntis ecclesiae Christianae. Juxta Gnosticos, materia est mala et homini oportet animam suam spiritalem liberare de corpore materiali ut ascendat ad supra. Attamen doctores Catholici docuerunt hominem constare ex corpore materiali et anima spiritali, quae, utpote a Deo creata, sunt bona. Vide John Ehrett: “Gnostic Anthropology and Identity Politics”, *Conciliar Post*: [36](https://conciliarpost.com/theology-spirituality/theo-</a></p>
</div>
<div data-bbox=)

altera autem parte, alii aliter cogitantes, opinantur sexum hominis, non genus (quidquid sit!), determinare utrum homo vir an mulier sit.

Rogandum sane est utrum vir transitus in mulierem *vere sit mulier*? William, quamvis dicat nunc se esse Liam, revera pergit esse “William”? Sed quaestio decretoria mihi videtur haec: quidnam est “mulier”? Res celeberrima fuit pellicula *Quid est femina?* Quae in 177 miliones 2 millia (177,200,000) functionibus in toto orbi terrarum aspecta est. Ex omnibus interrogatis “quid est mulier” (quorum omnes fautores transmutationis erant) nemo “feminam” definire potuit vel voluit.<sup>3</sup>

Patet disceptationem non solum elementa anthropologica, psychologica, medicina includere, sed et ontologica seu metaphysica, immo (visis aerumnis socialibus) ethica ac politica. Nos tamen non loquemur nisi de radice (sexuali aut genuali) differentiae inter masculum et feminam, consultis Sancto Thoma certisque discipulis ejus, in quorum colloquio adhibentur non pauci conceptus scholastici, nec omnes in omnibus cum ipso Thoma conveniunt.

## THOMAS AQUINAS

Interrogamus Sanctum Thomam Aquinatem *non* quid dixisset de nostris disputationibus de sexu et genere (de quibus, ut talibus, eo tempore haud loquebatur), sed potius quid revera dixit de certis quaestionibus quae ansam nobis darent ad conjiciendum quid diceret hodie de nostris aenigmatibus. Certae distinctiones, fundamentales in scholis Scholasticis, sunt cardines qui dirigunt inquisitionem nostram:

- corpus et anima.
- principia materialia et formalia, seu materia et forma.
- accidentia et substantia.

Loci appositae ad doctrinas horum Thomistarum inveniuntur in Sancti Thomae operibus *Quaestiones disputatae de anima*, *Summa Theologiae*, *Commentaria in Metaphysicam*, et *De ente et essentia*.

---

logical-anthropology/gnostic-anthropology-and-identity-politics/.

3 Percontatore Matthaeo Walsh: <https://www.catholicnewsagency.com/news/254508/what-is-a-woman-documentary-passes-177m-views-on-twitter>. Exempum recentius: <https://youtu.be/ul7euR0J1es?si=8KPR9xF6Hlgh5Vpk>

Thomas, ut patet, non distinctinxit sicut nos inter sexum et “genus” recenti sensu sumptum, qui non apparet in scriptis suis. Ejus tamen conceptus “sexus” non multum distat a nostro, et notio ejus invenitur in latere laevo praefatarum distinctionum. Scilicet sexus:

- pertinet plus ad *corpus* quam ad animam
- pertinet plus ad *materiam* quam formam (*principia materialia* quam *formalia*)
- est *accidens* (inseparabile), quin ad substantia ut talem spectet.

Thomas quidem sequentia affirmavit:

1. sexus est *accidens inseparabile* individui (vel compositi)

*Quaestiones disputatae de anima*, 12 ad 7: Tria sunt genera accidentium: quaedam enim causantur ex principiis specie, et dicuntur “propria”, sicut risibile homini; quaedam vero causantur ex principiis individui: et hoc dicitur, quia vel habent causam permanentem in subjecto, et haec sunt accidentia “inseparabilia”, sicut masculinum et femininum, et alia hujusmodi; quaedam vero habent causam non permanentem in subjecto, et haec sunt accidentia “separabilia”, ut sedere et ambulare.

2. tale accidens (unicum exemplum Thomae est masculus et femina) fundatur plus in *materia* quam in anima substantiali:

*De ente et essentia*, 7 (n. 105): Sed nullum accidens consequitur materiam sine communicatione formae. In his tamen accidentibus quae materiam consequuntur, invenitur quaedam diversitas. Quedam enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam specialem, sicut masculinum et femininum in animalibus, quorum diversitas ad materiam reducitur, ut dicitur in [libro] X *Metaphysicae* [Aristotelis].

Thomas praebuit saltem tria rationes ad ostendendum *materiam* determinare sexum:

1. Utrum fetus eveniat vir aut mulier reperitur in processu biologico materiali. Thomae cognitio biologiae erat partim falsa, sed mutatis mutandis, placebit (vide infra).

*Summa Theologiae* 1:92:1 ad 1: Per comparisonem ad naturam universalem, femina non est aliquid occasionatum sed est de intentione naturae ad opus generationis ordinate.

2. Si sexus oriretur non ex materia sed ex forma substantiali aut accidentali animae, mas et femina distinctis essent speciebus.

*Metaphysica* 10:11:

\* Dicit [Aristoteles] ergo primo, quod dubitatio est quare femina non differt specie a viro, cum femininum et masculinum sint contraria, et differentia secundum speciem causetur ex contrarietate.

\* Adaptat [Aristoteles] ad terminos speciales... scilicet ad masculum et feminam; dicens, quod masculus et femina sunt proprie passiones animalis, quia animal ponitur in definitione utriusque. Sed non conveniunt animali secundum substantiam et formam, sed ex parte materiae et corporis. Quod patet ex hoc, quod idem sperma potest fieri masculus et femina, secundum quod diversimode patitur aliquam passionem<sup>4</sup>... Hoc autem non posset esse vel contingere si masculus et femina different specie. Non enim ex uno semine diversa secundum speciem producuntur.... Unde relinquitur quod masculus et femina non differant secundum formam, nec sunt diversa secundum speciem.

3. Sexus, cum ad individuum pertineat, plus ad materiam alligatus est quam ad animam.

*Summa Theologiae* 1:3.3: unde id quod est homo habet in se aliquid quod non habet humanitas. Et propter hoc non est totaliter idem homo et humanitas; sed humanitas significatur ut pars formalis hominis, quia principia definientia habent se formaliter respectu materiae individuantis.

Has doctrinas videbimus in commentariis Thomistarum.

Thomas ergo videtur definire “sexum” propemodum in sensu nostro; ex altera autem parte, licetne etiam “genus” sumptum in sensibus eorum qui “transitionem” accipiunt, aliquatenus controversiis hodiernis accommodare? Responsum reperiendum erit, ut patet, in significatione vocabuli “genus” sumpti ut *gender*.

---

4 Omittitur jam sublata ratio genetica Thomistica.

## BEDFORD AC EBERL

Primi magistri “Scholastici” quos aspiciemus sunt Elliot Louis Bedford et Jason T. Eberl<sup>5</sup>, qui quaerunt, ex conspectu anthropologiae Thomisticae, utrum “anima sit sexualis (*sexed*)” an genualis (*gendered*). Responsum consociant cum quaestionibus hodie disputatis de transmutatione generis necnon et de defectu sive morbositate in formatione sexuali. Consuetudo distinguunt inter sexum et genus. *Sexus* maris et feminae fundatur in indole (seu “identitate”) *chromosomal*; *genus* vero in indole *sociali*, scilicet in modo quo persona seipsum percipit ut virum aut mulierem secundum munera typica in societate utrisque adscripta.

Praeterea, *sexus* et *genus*, licet distinguantur “conceptualiter”, “practice” tamen inter se arcte conectuntur. Anima, ut spiritualis in seipsa, inquit, neque est masculina neque feminina, sed tamen *aliquatenus* est et “sexualis” et “genualis”. Anima enim est *sexualis* quoniam est principium quod individuum vivificat prout ejus qualitas accidentalis inseparata. Sed anima quoque est *genualis* prout hujusmodi qualitas, primum solum potentialis, tandem vero actualis, evoluit in “characterem” intellectualem atque moralem qui (supposita immortalitate) post mortem superest.

Haec conceptio praesumit tum binarium maris ac feminae tum dualismum corporis atque “ego”. Disphoria genualis in seipsa, ajunt, est epistemica, hoc est, inter ego “reale” et ego “perceptum”. Sed distinguendum est inter hunc simplicem *conflictum* epistemicum et *morbum* ubi *conflictus* causat angustiam. Hodie tamen propensio peritorum in re transitionis est suprimere partem “morbida” quae, suppressa, nullam difficultatem ostendit.<sup>6</sup>

In neutro casu tamen repugnatur anthropologiae Thomisticae supra promptae, quae quidem adjuvat ad dubia moralia clarificanda, utputa: transitio generis, morbositas in formatione sexuali, chirurgia genitalis reconfigurativa.

Quantum ad interventiones chirurgicas in personis transitis, justificantur a nonnullis ethicistibus ex principiis moralibus “duplicis effectus”

5 Bedford: director programatis ethicae (St. Vincent Health); Eberl: cathedraethicus ethicae medicae (Universitas Mariana); “Is the Soul Sexed? Anthropology, Transgenderism, and Disorders of Sex Development”. <https://www.chausa.org/docs/default-source/hceusa/is-the-soul-sexed-anthropology-transgenderism-and.pdf?sfvrsn=4>.

6 <https://www.foxnews.com/media/trans-man-asked-simple-question-kids-trans-conference-kicked>.



vel “sacrificium partis pro toto”. Verumtamen, ajunt Bedford ac Eberl, neutra ratio sufficit. Ut duplex effectus bene applicetur, explicant nostri auctores, immediatus operationis finis debet esse bonus vel saltem neutralis, sed tamen illud ipsum haud demonstratum est. Nec valet principium “totalitatis” ut justificetur operatio hominis qui sentit se esse bipartitum in marem et feminam, quoniam homo, contra sua “sensu”, est integer.

## BALBOUR

Deinde annotamus paucas notiones Hugonis Balbour in ejus lepidio cum Cy Kellett dialogo de opinione “Aquinatis super transitione genuali”.<sup>7</sup> Dialogum incipit colloquium asseverans doctrinam Sancti Thomae de sexibus principaliter fundari in libro *Genesi*, Aristotele postea adhibito:

et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait “crescite et multiplicamini et replete terram”.<sup>8</sup>

Homo creatus est, ait Balbour, quoad “animam seu naturam spiritalem (intellectum et voluntatem)”, sed “pro-creatur” (a suis parentibus, Deo presente) corporaliter ut masculum et feminam. Scripsit:

Distinctio sexualis pertinet ad essentiam naturae humanae utpote sumus corporei, non utpote sumus quoque spiritus... ubi viri et mulieres non sunt distincti.

Ratio quamobrem sexus masculinus et femininus non distinguuntur secundum spiritum est quod si ita “spiritaliter” distinguerentur, mas et femina essent dispaes in esse sive natura (idem dicunt alii discipuli Thomae). Nam si existerent anima feminea et animamacula, mulier et vir non participarent naturam communem. Differunt potius propter corpora sua, non propter animas, sed tamen natura corporis per animam informatur. Distat sexus physicus de “genere”, scilicet de nostra indole sive “identitate”, de eo quod ut personae sumus.

<sup>7</sup> “Aquinas on Transgenderism”; <https://www.catholic.com/audio/caf/aquinas-on-transgenderism>. Barbour, O.Praem., introivit in Abatiam Sancti Michaelis in Silverado, California, insistit patristicam in Augustiniano et philosophiam in Angelico, Romae. Kellett est hospes videoludi *Catholic Answers Live*.

<sup>8</sup> 1:27-28.

De disceptione hodierna de transitione viri in mulierem et conversim, Thomas conjicere posset, ait Balbour, sensationem quod alterius generis sunt reperiri in *experientia sua praeterita*. Viro nato ut mari, dicamus, persuasum est esse mulier. Quaerendum est ubi in composito corporis et animae viri transiti in feminam inveniatur proclivitas contra sexum suum biologicum. Atqui haec inclinatio non comperienda est tantummodo in corpore, cum vir sit biologice masculus. Potius proclivitas quaerenda est in nescioqua impressione sensitiva quae phantasiam et memoriam afficit. Itaque “genualitas” juxta Balbour originem trahit non ex anima sed “indirecte” a corpore.

### WILLIAM NEWTON CONTRA JOHN FINLEY

Nunc vero inspiciamus controversiam *intra* scholam Scholasticam circa locum differentiae inter marem et feminam: utrum corpus an anima? Aliter ac Thomistae Balbour et Bedford et Eberl, et quidem contra ipsum Thomam, John Finley<sup>9</sup> opinatur distinctionem fundari in *anima* potius quam in corpore.

Sed contra, William Newton<sup>10</sup> defendit Thomam dicentem sexum potius consequi principium materiale in homine, hoc est corpus, quam animam. Judicat opinionem Finley ex eo esse indefensibilem quod non quadat cum quattuor factis, scilicet:

1. casu personarum inter binos sexus natarum,
2. chirurgia ad sexum reassignandum,

9 John Finley gradum doctoris recepit in philosophia in Universitate Dallas; dirigit Valor Institute (California), philosophiam docuit in Seminario Kenrick-Glennon (St. Louis) et in Thomas Aquinas College (California), sodalis est Instituti Aquinas Institute, Blackfriars Hall, Universitatis Oxoniensis. Titulos magistri et doctoris recepit de Universitate Dallasensi. “The Metaphysics of Gender: A Thomistic Approach”, *The Thomist: A Speculative Quarterly Review*, The Catholic University of America Press (Volume 79, Number 4, October 2015) pp. 585-614; Vide: <https://www.thomasaquinas.edu/alumni/faith-action-blog/alumnus-scholar-publishes-much-needed-book-sexual-identity>.

10 William Newton, “Why Aquinas’s Metaphysics of Gender Is Fundamentally Correct: A Response to John Finley (the Linacre Quarterly) <https://www.ncbi.nlm.nih.gov/pmc/articles/PMC7273633/>. William Newton, PhD, Anglicus, est professor theologiae in Universitate Franciscana, Steubenville, OH. Theologiam docuit in Instituto Theologico Internationali in Trumau, Austria, in Instituto Maryvale, Birmingham; in Instituto Aquinas Hibernia. Titulos habet de Institutum Johannes Paulus II, Leuven) et Institutum Theologicum Internationale.

3. formatione physica differentiarum sexualium
4. unitate sexuum in unica specie humana fundata.

Respicemus casus duo et quattuor.

Newton sic interpretatur Thomam:

est in anima una potentia generativa, determinata per materiam ad quam anima unita est, exprimenda ut masculus aut femina.

Newton visit duos locos Sancti Thomae (quos attetigimus supra quosque Finley quoque commentatus est in alio sensu)<sup>11</sup>, ubi Sanctus asserit sexum esse accidens inseparabile individui et consequi materiam. Sexus est unicum exemplum talis accidentis.

Thomas obtulit tres rationes quamobrem materia sexum determinet:

1. utrum puella an puer generetur debetur semini in fetu,
2. si sexus formam substantialem vel accidentalem in anima consequeretur, masculum et femina distinctae essent speciei,<sup>12</sup>
3. sexus, prout ad individuum pertinet, plus materiam consequitur quam animam.<sup>13</sup>

Finley rejicit secundam rationem, cujus negationem videtur sumere ut fulcimen theseos suae quod potentia generativa est “co-potentia” (maris et feminae). Newton improbat notionem a Finley propositam “animae femininae vel masculinae”, accipit tamen:

notionem animae feminizatae vel masculinizatae propter materiam quam informat.

Finley, recognoscens tum animam masculinam tum animam femininam, contradicit objectioni Thomae quod talis thesis implicat duas esse species humanas: pro masculo et por femina. Segundum Newton tamen, anima, in se ipsa “neutralis”, redditur masculina aut feminina simul atque informatur per materiam corporis.

Aliis verbis, juxta Finley, duae potentiae generativae, masculina et feminina, cum utraque ad zygotam (ovum a spermate fertilizatum) colli-

<sup>11</sup> *Quaestiones disputatae de anima*, 12 ad 7, *De ente et essentia*, 7, n. 105.

<sup>12</sup> Aquinas, *Metaphysics* X, lectio 11.

<sup>13</sup> Respective: *Summa Theologiae* 1:92:1 ad 1, *Metaphysica* 10:11, *Summa Theologiae* 1:3.3.

neant ita ut finis *ultimus* ambarum sit generatio *hominis ut talem*, inter se non differunt ideoque non important duas species. Newton autem censit duas potentias generativas esse diversas, nam fines *proximi* earum sunt diversi et collineant solum ad gametos (cellulas quae sunt aut ova aut spermata).

Item Finley et Newton ad finem scriptorum suorum loquuntur de interventionibus chirurgicis destinatis ad sexum reassignandum. Ille opinatur eventum talium operationum non est individuum transmutatum in alterum sexum sed individuum *neutrius* sexus.

Newton quaerit, contra, utrum nescioquis operatio possit efficere ut organa sexualia producant gametos alterius sexus. En exemplum (fictum sed possibile): uti cellulis pluripotentibus mulieris ad testiculos formandos capaces spermata producendi, deinde transplantare testiculos in mulierem ut possit spermata producere quae ipsius mulieris essent. Verumtamen Newton negat hanc mulierem esse virum, eo quod *adquisivit* potentiam spermata producendi; contra, ut vere sit vir, necesse esset potentiam causari per *entelechiam interiorem*. Verbum “vir” in hoc casu non est univocum nec nominat virum “usitatum”.

Newton summatim terminat scriptum suum duabus conclusionibus:

1. Potentia generationis ut talis radicatur in anima, sed utrum actualizetur modo masculi an feminae determinatur per materiam cui anima unitur necnon per processus materiales.
2. Altera sententia, quod sexus principaliter consequitur animam, repugnat tum formationi sexuali tum unitati mulieris et viri tamquam duarum expressionum unicae speciei humanae.

## VERBUM FINALE


Quidnam denique dicendum? Quantumvis singula quaestionis a peritis speculantur, haec unica quaestio mihi videtur decretoria: utrum vir vere possit transire in mulierem, mulierve vere in virum. Quod si transmutatio “vera” sit, anthropologia antehac recepta funditus evertetur (una cum compagibus suis moribusque); sin autem, anthropologia servabitur.

Sed tamen utrum transitio vera sit necne nititur in sensu *secundi* “mulier” (in oratione “vir fit *mulier*”) necnon in sensu *secundi* “vir” (in “mulier fit *vir*”); significationes enim primi “vir” et primi “mulier” sat lucidae

sunt. Tota difficultas, aliis verbis expressa, attingit non terminum a quo relationis transeundi (fiendi), sed terminum *ad quem*.

“Sexus” consociatur cum terminis *a quo* et ad chromosomata materialia se habet; “genus” autem (*générol/ gènerol/ gender*) connectitur cum termino *ad quem*, et potius ad “culturam” pertinet, scilicet ad mores sociales cogitandi atque agendi, quapropter ad amussim finiri non potuit modo ab omnibus accipiendi.

Sic ergo licet repraesentare habitudinem inter quoslibet terminos “a quo” atque “ad quem”:



Ubi patet totam difficultatem esse in Y determinando.

Sanctus Thomas in hac re loquebatur solummodo de “sexu” et quattuor Thomistae ex quinque consideratis ei videntur consentisse; alius vero differentiam inter marem et mulierem potius dixit consequi “animas masculinas et femininas”, quod posset sumi “genualiter”.

## BIBLIOGRAPHIA

Aquinas, Sanctus Thomas.

*De ente et essentia*

*Summa Theologica*

*Commentaria in Metaphysica Aristotelis*

*Quaestiones disputatae de anima*

Barbour, Hugh. “Aquinas on Transgenderism”: <https://www.catholic.com/audio/caf/aquinas-on-transgenderism>.

Bedford, Elliot Louis et Eberl, Jason T. Is the Soul Sexed? Anthropology, Transgenderism, and Disorders of Sex Development

<https://www.chausa.org/docs/default-source/hceusa/is-the-soul-sexed-anthropology-transgenderism-and.pdf?sfvrsn=4>

Finley, John. "The Metaphysics of Gender: A Thomistic Approach", *The Thomist: A Speculative Quarterly Review*, The Catholic University of America Press (Volume 79, Number 4, October 2015) pp. 585-614.

Newton, William. "Why Aquinas's Metaphysics of Gender Is Fundamentally Correct: A Response to John Finley" (the Linacre Quarterly) <https://www.ncbi.nlm.nih.gov/pmc/articles/PMC7273633/>.